



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 2. Quænam sunt Gulæ remedia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

filios, vel filias in statu convenienti non collocando; item non opitulando gravem necessitatem patienti; aut si inde notabiliter ineptus fiat ad functiones aliquas, ad quas sub mortali tenetur, &c. 5. Siquis, saltem extra necessitatem extremam, carne humana, aut sanguine vescatur. *Ita commun.* nam hoc est contra honorem defunctis debitum, & contra ordinem, ac instinctum rectum naturæ: unde ab hoc tanquam à re valde inordinata, & extremæ feritatis abhorruere gentes omnes non penitus barbaræ. Licet tamen uti carne humana in medicamentis, quia tunc sic alterata est, ut dici nequeat carnis humanæ sumptio. 6. Ratione gravis scandali, vel periculi peccandi graviter.

Extra hos casus peccatum gulæ est solum veniale. *S. Thom.* 2. 2. q. 14. 8. a. 2.

*Q. 2. Quanam sunt Gulæ remedia?*

*Resp.* Hæc 1. Considerare gulæ incommoda, ac damna: quippe intellectum obnubilat, mentem deprimit, bona desideria extinguit, aggravat animam, reddit hominem ineptum ad sua officia, & exercitia spiritualia; impedimenta apponit gratiæ divinæ, & gaudiis spiritualibus; vitam minuit, morbos, & multa peccata parit; aditum vitiis aperit, & intercludit virtutibus. Item cogitare, quàm citò transeat

T 2

cibi,

cibi, & potûs delectatio, gravia autem mala ex gula orta maneant.

2. Vitare occasiones.

3. Sectari in omnibus temperantiam, nil ultra necessitatem convenientem edendo, & bibendo.

4. Semper sibi in mensa subtrahere aliquid modicum, quod adhuc licitè sumi posset, & præsertim, quod magis arridet palato.

Q. 3. *Quid est ebrietas, & quale peccatum?*

*Resp.* Ebrietas est excessus in potu usque ad violentam privationem rationis, ejusque potestatis proximæ. Est peccatum mortale, ut inter omnes constat. 1. Ex Isa 5. *Va qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam.* Et 1. Cor. 6. *neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* Vox Græca significat Ebrios. & ad Gal. 5. ebrietas recensetur inter opera carnis, quæ excludunt à regno Dei. 2. Ex consensu Patrum, & Doctorum. 3. Quia est gravis inordinatio, & difformitas violenter adimere sibi potestatem proximam utendi ratione, exercendi opera virtutum, & sua munera, vitandi malum, faciendi bonum, & subveniendi necessitatibus subitis animæ, ac corporis: atque ita se ad brutorum stoliditatem abjicere, & imaginem Dei